

Vorbemerkung:

Der folgende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich zu erläutern.

I. Übersetzung

Consumpsere se quidam dum acta regum externorum
componunt, quaeque passi inuicem ausique sunt populi.
35 quanto satius est sua mala extinguere quam aliena poste-
ris tradere! quanto potius deorum opera celebrare quam
Philippi aut Alexandri latrocinia, ceterorumque qui exi-
tio gentium clari non minores fuere pestes mortalium
quam inundatio qua planum omne perfusum est, quam
40 conflagratio qua magna pars animantium exarsit! quem-
admodum Hannibal Alpes superiecerit scribunt, quem-
admodum confirmatum Hispaniae cladibus bellum Ita-
liae inopinatus intulerit, fractisque rebus, etiam post
Carthaginem pertinax, reges pererrauerit contra Romanos
ducem promittens, exercitum petens, quemadmodum
45 non desierit omnibus angulis bellum senex quaerere:
adeo sine patria pati poterat, sine hoste non poterat!

Quanto satius est quid faciendum sit quam quid fac-
tum quaerere, ac docere eos qui sua permisere fortunae
nihil stabile esse ab illa datum, munus eius omne aura
50 fluere mobilius! nescit enim quiescere, gaudet laetis tri-
stia substituere, utique miscere. itaque secundis nemo
confidat, aduersis nemo deficiat: alternae sunt uices re-
rum. quid exultas? ista quibus eueheris in summum nes-
cis ubi te relictura sint: habebunt suum, non tuum finem.
55 quid iaces? ad imum delatus es, nunc locus est resur-
gendi. in melius aduersa, in deterius optata flectuntur. ita
concipienda est animo uarietas non priuatarum tantum
domuum, quas leuis casus impellit, sed publicarum. re-
gna ex infimo coorta supra imperantes constiterunt, ue-
60 tera imperia in ipso flore ceciderunt; iniri non potest nu-
merus quam multa ab aliis fracta sint. nunc cum maxime
deus extruit alia, alia submittit, nec molliter ponit sed ex
fastigio suo nullas habitura reliquias iactat. magna ista
quia parui sumus credimus: multis rebus non ex natura
65 sua sed ex humilitate nostra magnitudo est.

70 Quid praecipuum in rebus humanis est? non classibus
maria complese, nec in Rubri maris litore signa fixisse,
nec deficiente ad iniurias terra errasse in oceano ignota
quaerentem, sed animo omne uidisse et, qua maior nulla
75 uictoria est, uitia domuisse. innumerabiles sunt qui popu-
los, qui urbes habuerunt in potestate, paucissimi qui se.
quid est praecipuum? erigere animum supra minas et pro-
missa fortunae, nil dignum putare quod speres. quid enim
habetes quod concupiscas? qui a diuinorum conuersatione
quotiens ad humana reccideris, non aliter caligabis quam
quorum oculi in densam umbram ex claro sole redierunt.

II. Sprachliche Erläuterungen:

1. Benennen Sie die Z. 34 - 47 verwendeten Stilmittel!
2. Bestimmen Sie die syntaktische Funktion von *clari* (Z. 37)!
3. Erläutern Sie den Gebrauch von *sua* bzw. *eius* (Z. 48/49)!
4. Erläutern Sie das Zustandekommen der Formulierung *aduersis nemo deficiat* (Z. 52)!
5. Beschreiben Sie die Konstruktion *ista ... relictura sint* (Z. 53 f.), und erläutern Sie den Gebrauch von *ubi*!